

Prae cuncta vitae commoda est mortalibus
de fine <vitae semper esse> nescium
quibusque metis fata claudantur sui.

2

Mens quippe homulli non videt variantia
quot haec reformet perpes aeviternitas.

5

Nam si facessat casuum scientia,
laeta est timoris omnis ignoratio.

Quare id putato tute commodissimum,
si spes futuri nullo foedetur metu.

10

Ergo hisce quae fas instruere ut praescias.

Tu nam levatus nostra praepotentia
quaecumque gens sit obvia sternes manu
tuncque haec revises animo, liber artibus.

15

Urbs vero, quam nunc erigis mundi decus,
nitore surget cunctis exoptabilis

saeclis, virescens temporum recursibus
unaque semper fulta beatitudine,

frequens deorum templis atque numine
decusque vincens civium concordia.

20

Optata sedes vitae

. letum capit

cunabulisque gratior genitalibus.

Quippe ipse laetis coetibus praesul cluo
interminatis saeculorum cursibus,

25

fundata quod sit tellus hisce legibus,
ridens sereno vel corusco lumine.

Quippe austri solum sontibus iam libera
flabris, fovetur blandius spirantibus,

30

ne quis potentum seu vis ulla daemonum
exim noceret imperioso numine.

Est namque fatum motibus nutantibus
telluris huius penita contremiscere
famemque nosse celere perfunctam metu,